

Alte Drucke

**M. T. CICERONIS || EPISTOLÆ AD || COMPLVRES SCRIPTÆ, ||
QVAS VVLGO FAMILIARES || APPELLARVNT, || EDITÆ || DE
SENTENTIA || IOACHIMI CAMERARII || ...**

Cicero, Marcus Tullius

Lipsiae, 1578

VD16 ZV 31063

M. T. CICERONIS EPISTOLARVM LIBER AD CVRIONEM ET CAETEROS.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-149712

M. T. C. EPIST. FAM.

inf. x. l. 7.
luntatem offenderes. Equidem non desinam tua decreta defendere, sed nosti consuetudinem hominum, scis quam grauitur inimici illi ipsi Q. Scauola fuerint. Tibi tamen sum autor, vt quibus rebus possis, cum tibi ordinem aut reconcilies, aut mitiges. Id etsi difficile est, tamen mihi videtur esse prudentia tua. Vale.

M. T. C. VALERIO IVRISCON-
II SVLTO S. P. D.

inf. x. l. 7.
VR ENIM TIBI HOC NON gratificer, nescio: praesertim cum his temporibus audacia pro sapientia liceat vti. Lentulo nostro egi per literas tuo nomine gratias diligenter. Sed tu velim desinas iam nostris literis vti, & nos aliquando reuifas, & ibi malis esse, vbi aliquo numero sis, quam isthic, vbi solus sapere videare. Quanquam qui isthic nunc veniunt, partim te superbum esse dicunt, quod nihil respondeas: partim contumeliosum, quod male respondeas. Sed iam cupio tecum coram iocari. Quare fac, vt quamprimum venias, neq; in Apuliam tuam accedas, vt possimus saluum te [a] venisse gaudere. Nam illo si veneris, tanquam Vlysses cognosces tuorum neminem. Vale.

M. T. CICERO IIIS EPI-
STOLARVM LIBER AD
CVRIONEM ET CA-
TEROS.

M. T. C. CVRIONI S. P. D. 12

QVAN-

VANQVAM ME NOMINE

negligentia tibi suspectum esse doleo, tamen
 non tam molestum mihi fuit accusari abs te officium
 meum, quā incundum requiri: praesertim cum in quo
 accusabar, culpa vacarem: in quo autem desiderare
 te significabas meas literas, pra te fers perspectū mi-
 hi quidem, sed tamen dulcem & optatum amorem
 tuum. Equidem neminem praetermisi, quem quidem
 ad te peruenturum putarem, cui literas non dederim:
 etenim quis est tam in scribendo impiger, quam ego?
 A te vero bis terue ad summum, & eas per breues ac-
 cepti. Quare si iniquus es in me iudex, condemnabo
 eodem ego te crimine: sin me id facere noles, te mihi
aquum prabere debebis. Sed de literis haecenus: non
 enim vereor, ne non scribendo te expleam: praesertim
 si in eo genere studium meum non aspernabere. Ego
 te absuisse tam diu à nobis & doleo, quod carui fructu
incundissime consuetudinis tuae, & lator, quod absens
omnia cum maxima dignitate es consecutus, quodq;
in omnibus tuis rebus, meis optatis fortuna respondit.

18. Breue est, quod me [b] tibi precipere meus in-
 credibilis in te amor cogit: tanta est expectatio vel
animi, vel ingenij tui, vt ego te obsecrare, obtesta-
rig, non dubitem, sic ad nos confirmatus reuertare,
vt quam expectationem tui concitasti, hanc sustine-
re ac meri possis. Et quoniam meam tuorum erga
me meritorum memoriam nulla vnquam delebit ob-
liuio, te rogo, vt memineris, quantacumq; tibi ac-
cessionis fuerint & fortune & dignitatis, eas te non
potuisse consequi, nisi meis puer olim fidelissimis atq;
amantissimis consilijs paruisses. Quare hoc animo in
 nos esse debebis, vt etas nostra iam ingrauescens, in

D

amore

factusq;
 dignus
 de hoc
 tempore

Periodus

De

amore atq; in adolescentia tua conquiescat. Vale.

13 M. T. C. CVRIONI S. P. D.

GRAVI TESTE PRIVATVS

habui



sum amoris summi erga te mei patre tuo clarissimo viro: qui cum suis laudibus, tum vero te filio superasset omnium fortunam, si ei contigisset, ut te ante videret, quam è vita discederet. Sed spero, nostram amicitiam non egere testib. Tibi patrimonium dii fortunent. Me certe habebis, cui carus aque sis & pericundus, ac fuisti patri. ~~Neque~~ ^{Meum} studium ~~meum~~ non defuit declarandorum muneri tuo nomine: sed nec mihi placuit, nec cuiquam tuorum, quicquam te absente fieri, quod tibi cum venisses, non esset integrum. Meam quidem sententiam aut scribam ad te postea pluribus, aut, ne ad eam meditare, imparatum te offendam, coramq; contra istam tuam rationem, meam dicam, ut aut te in meam sententiam adducam, aut certe restatam apud animum tuum relinquam, quid senserim: ut si quando (quod nolim) displicere tibi tuum [a] consilium 19. coeperit, possis meum recordari. Breui tamen sic habeto, in eum statum temporum tuum reditum incidere, ut ijs bonis, quæ tibi natura, studio, fortuna data sunt, facilius omnia, quæ sunt in Repub. amplissima, consequi possis, quam muneribus, quorum neq; facultatem quisquam admiratur (Et enim copiarum, non virtutis) neque quisquam est, qui satietate iam defessus sit. Sed aliter atq; ostenderam, facio, qui ingredior ad explicandam rationem sententia mea. Quare omnem hanc disputationem in aduentum tuum differo. Summa scito te in expectatione esse, eaq; à te expectari, quæ

que à summa virtute, summoque ingenio expectanda sunt: ad qua si es, vt debes, paratus (quod ita esse confido) plurimis, maximisque muneribus. & nos amicos & ciues tuos vniuersos, & Rempub. afficies. Illud profecto cognosces, mihi te neq. cariorem, neq. in-
cundiorem esse quengquam.

M. T. C. CVRIONI S. P. D. 14

EPISTOLARVM GENERA

multi esse non ignoras: sed vnum illud certissimum, cuius causa inuenta res ipsa est, vt certiores faceremus absenteis, si quid esset, quod eos scire, aut nostra, aut ipsorum interesset. Huius generis literas à me profecto non expectas: domesticarum enim rerum tuarum habes & scriptores & nuncios. In meis autem rebus nihil est sane noui. Reliqua sunt epistolarum genera duo, quae me magnopere delectant, vnu familiare & iocolum: alterum seuerum & graue. Vro me minus deceat vti, non intelligo. Iocerne tecum per li-

19. teras? ciuem mehercule [b] non puto esse, qui temporib. his ridere possit. An grauius aliquid scribam? quid est, quod possit grauius à Cicerone scribi ad Curionem, nisi de Republica? atq; in hoc genere hac mea causa est, vt neq; ea quae nunc sentio, velim scribere. Quamobrem, quoniam mihi nullum scribendi argumentum relictum est, vt ea clausula, qua soleo, teg-
ad studiū summe laudis cohortabor. Est enim tibi gra-
uis aduersaria constituta, et parata incredibilis quaer-
expectatio, quam tu vna re facilius vices, si hoc sta-
tueris: QVARVM LAVDVM gloriam ada-
maris, quib. artibus ea laudes comparantur, in ijs esse
elaborandum. In hanc sententiam scriberem plura,

nisi te tua sponte satis incitatum esse considerem: & hoc quicquid attingi, non feci inflammandi tui causa, sed testificandi amoris mei. Vale.

M. T. C. CVRIONI S. P. D.

HÆC NEGOCIA QVOMODO

se habeant, ne epistola quidem narrare audeo tibi, esse ubicumq; es (ut scripsi ad te antea) in eadem es nati: tamen quod abes, tibi gratulor: vel quia non vides eas, qua nos, vel quod excelsio & illustri loco sita sit laus tua, in plurimorum & sociorum, & ciuium conspectu, qua ad nos nec obscuro, nec vario sermone, sed & clarissima & omnium una voce perfertur. Vnum illud nescio, gratulerne tibi, an timeam, quod mirabilis est expectatio redditus tui, non quo verear, ne tua virtus opinioni hominum non respondeat: sed nehercule, ne cum veneris, non habeas iam, quod cures: ita sunt omnia debilitata, & iam prope extincta. Sed hac ipsa nescio rectene sint literis commissa: [a] quare cetera cognosces ex alijs. Tu tamen siue habeas aliquam spem de Repub. siue desperas, ea para, meditare, cogita, qua esse in eo ciue ac viro debent, qui sit Remp. afflicta & oppressa miseris temporibus, ac perditis moribus, in veterem libertatem ac dignitatem vindicaturus. Vale.

16 M. T. C. CVRIONI S. P. D.

NON DVM ERAT AUDITVM

te ad Italiam aduentare, cum Sextum Iulium Milonis mei familiarem cum his ad te literis misi: sed tamen cum appropinquare tuus aduentus putaretur, & te iam ex Asia Romam versus prouectum esse constaret;

^{dat ubi prima fuisse Salum.}
 ret magnitudo rei fecit, ut non vereremur, ne nimis
 cito mitteremus, cum has ad te perferri quamprimum
 literas magnopere vellemus. Ego si mea in te essent of- ^{2. Offendit}
 ficia solum Curio tanta, quanta magis à te ipso pradi- ^{causa}
 cari, quam à me ponderari solent, verecundius à te, si ^{que ad ne}
 qua magna res mihi petenda esset, contenderem. ^{verda in}
GRAVE EST ENIM homini prudenti, petere
aliquid magnum ab eo, de quo se bene meritum putet:
 ne id quod petat, exigere magis, quam rogare. & in
 mercedis potius, quam beneficij loco numerare videat-
 ur. Sed quia tua in me vel nota omnibus, vel ipsa no-
 uitate meorum temporum clarissima & maxima be-
 neficia extiterunt: ESTQUE ANIMI ingenui,
cui multum debeas, eidem plurimum velle debere: non
dubitavi id à te per literas petere, quod mihi omnium
esset maximum, maximeque necessarium. Neque enim
 sum veritus, ne sustinere tua in me vel innumerabilia
 20. beneficia non possem: cum praesertim [b] consi-
derem, nullam esse gratiam tantam, quam vel non ^{gratitudo}
capere animus meus accipiendo, vel remunerando,
cumulandoque, illustrare posset. Ego omnia mea stu- ^{philipentia}
 dia, omnemque operam, curam, industriam, cogita-
 tionem, mentem denique omnem in Milonis consulatione
 fixi & locavi, ^{statim} in eo me non officij solum fru-
 ctum, sed etiam pietatis laudem debere querere. Ne-
 que vero cuiquam salutem ac fortunas suas tantae cu-
 ra fuisse unquam puto, quanta mihi sit honos eius, in
 quo omnia mea studia posita esse decreui. Huc te
 unum tanto adiumento esse si volueris, posse intelligi,
 ut nihil sit praeterea nobis requirendum. Habemus
 haec omnia: honorum studium conciliatum ex tribu-
 natu, propter nostram (ut te spero intelligere) causam.

sam: vulgi ac multitudinis, propter magnificentiam
 numerum, liberalitatemq; natura: iuuentutis &
 gratiosorum in suffragijs studia, propter ipsius excel-
 lentem in eo genere vel gratiam, vel diligentiam: no-
 stram suffragationem, si minus potentem: approba-
 tam tamen, & iustam & debitam, & propterea sor-
 tasse etiam gratiosam. Dux nobis & autor opus est,
& eorum ventorum, quos proposui, moderator qui-
dam, & quasi gubernator: qui si ex omnib. vnus ex-
optandus esset, quē tecum conferre possemus, non ha-
beremus. Quamobrem si me memorem, si gratum, si
 bonum virum, vel ex hoc ipso, quod tam vehementer
 de Milone laborem, existimare potes: si dignum de-
 nig, tuis beneficijs indicas, hoc a te peto, subuenias
 huic meae sollicitudini, vt huic meae laudi, vel (vt verius
 dicam) propriae saluti tuum studium dices. De ipso T.
 Annio tantum tibi polliceor, te maioris animi, graui-
 tatis [a] constantia, benevolentiae erga te, si com-
 plecti hominem volueris, habiturum esse neminem.
 Mihi vero tantum decoris, tantū dignitatis adiunxe-
 ris, vt eundem te facile agnoscam fuisse in laude mea,
 qui fueris in salute. Ego ni te videre scirem, cum hac
 ad te scriberem, quantum officij sustinerem, quanto pe-
 re mihi esset in hac petitione Milonis omni non modo
 contentione, sed etiam dimicatione elaborandum, plu-
 ra scriberem. Nunc tibi omnem rem atq; causam,
 meq; totum commendo atq; trado. Vnum hoc sic ha-
 beto, si à te hanc rem impetraro, me pene plus tibi,
 quā ipsi Miloni debiturum: non enim mihi tam mea
 salus cara fuit, in qua precipue sum ab illo adiutus,
 quam pietas erit in referenda gratia incunda: eam
 autem tui vnus studio me assequi posse confido. Vale.

SERA GRATVLATIO REPRE-

hendi non solet, praesertim si nulla negligentia praetermissa est: longe enim absum, audo sero. Sed tibi & gratulor, & vt sempiterna laudi tibi sit iste tribunatus, exopto, teq; hortor, vt omnia gubernes & moderere prudentia tua: ne te auferant aliorum consilia. Nemo est, qui tibi sapientius suadere possit teipso: nunquam labere, si te audies. Non scribo hoc temere, cui scribam video, noui animum, noui consilium tuum: non vereor, ne quid timide, ne quid stulte facias, si ea defendes, quae ipse recta esse senties. Quod in id Reipub. tempus non incideris, sed ueneris (iudicio enim tuo, non casu in ipsum discrimen

2 I. [b] rerum contulisti tribunatum tuum) profecto vides, quanta vis in Repub. temporum sit, quanta varietas rerum, quam incerti exitus, quam flexibiles hominum voluntates, quid insidiarum, quid vanitatis in vita sit, non dubito, quin cogites. Sed amabo te, cura & cogita nihil noui, sed illud idem, quod initio scripsi: tecum loquere, te adhibe in consilium, te audi, tibi obtempera. Alteri qui melius dare consilium possit, quam tu, non facile inuenire potest: tibi vero ipsi certe nemo melius dabit. Dy immortales, cur ego non assum vel spectator tuarum laudum, vel particeps, vel socius, vel minister consiliorum: tamen hoc minime tibi deest: sed tamen efficeret magnitudo & vis amoris mei, consilio te vt possem iuuare. Scribam ad te plura alias: paucis enim diebus eram missurus domesticos tabellarios: vt, quoniam sane feliciter, & ex

mea sententia Rempub. gesimus, vnīs literis totius
 aetatis res gestas ad senatum perscriberem. De sacer-
dotio tuo quantam curam adhibuerim, quanquam
 difficili in re atq; caussa, cognosces ex ijs literis, quas
 Thrasoni liberto tuo dedi. Te mi Curio pro tua incre-
 dibili in me beneuolentia, meaq; item in te singula-
 ri, rogo atq; oro, ne patiare mihi quicquam ad hanc
prouincialem molestiam temporis propagari. Praesens
 tecum egi, cum te tribunum pleb. isto anno fore non
 putarem; itemq; petui sapius per literas, sed tum qua-
 si à senatore nobilissimo, & adolescente gratiosissimo,
 nunc à tribunopleb. & à Curione tribuno, non vt de-
 cernatur aliquid noui, quod solet esse difficilius, sed vt
 ne quid noui decernatur, vt & senatusconsultum, &
 leges defendas, eaq; mihi conditio [a] maneat, qua 22.
 profectus sum. Hoc te vehementer etiam atq; etiam
 rogo. Vale.

M. T. C. PROCONSUL. M.

18

CELIO. S. P. D.

QVID? TV ME HOC TIBI
 mandasse existimas, vt mihi gladiatorem compositione-
nes, vt vadimonia dilata, & Chrestī compilationem
 mitteres, & ea quae nobis, cum Romae sumus, narrare
 nemo audeat? Vide quantum tibi meo iudicio tribu-
 am, nec me hercule iniuria: πολιτικός enim te ad-
 huc neminem cognoui, ne illa quidem curo mihi scri-
 bas, quae maximis in rebus Republica geruntur quo-
 tidie, nisi quid ad me ipsum pertinebit: scribent alij,
 multi nuntiabunt, perferet etiam multa ipse rumor.
 Quare ego nec praeiterita, nec praesentia abs te, sed vt
 ab homine longe in posterum prospiciente futura ex-
 pecto,

pecto, vt ex tuis literis, cum formam Reipublice viderim, quale edificium futurum sit, scire possim. Neg, tamen adhuc habeo, quod te accusem: neg, enim fuit, quod tu plus providere posses, quam quis nostrum, imprimisq, ego, qui cū Pompeio complures dies nullis in alijs, nisi de Republica sermonibus versatus sum: quæ nec possunt scribi, nec scribenda sunt: tantum habeto, ciuem egregium esse Pompeium, & ad omnia, quæ providenda sunt in Repub. & animo & consilio paratum. Quare da te homini: complectetur, mihi crede. Iam ydem illi & boni & mali ciues videntur, qui nobis videri solent. Ego cum Athenis decem ipsos dies fuisssem: multumq, mecum C. noster Caninius, 22. proficiscebatur inde pridie Nonas [b] Quintileis, cum hoc ad te literarum dedi. Tibi cum omnia mea commendatissima esse cupio, tum nihil magis, quam ne tempus nobis prouincie prorogetur: in eo mihi sunt omnia. Quid quando, & quomodo, & per quos agendum sit, tu optime constitues. Vale.

M. T. C. CÆLIO RVFO EDILI
CVRVLI DESIGNATO

S. P. D.

19

PRIMUM TIBI, VT DEBEO,

gratulor, latroq, cum presenti, tum etiam sperata tua dignitate, ferus, nō negligentia mea, sed ignoratione rerum omnium, in his enim sum locis, quo & propter longinquitatem, & propter latrocinia tardissime omnia perferuntur. Et cum gratulor, tum vero quibus verbis tibi gratias agam, non reperio, quod ita factum sit, vt dederis nobis, quemadmodum scripseras ad me, quem semper ridere possemus: Itaq, cum primum au-

D 5

diui,

quod facile est: ne quid mihi temporis prorogetur. De Repub. ex tuis literis, vt antea tibi scripsi, cum presentia, tum etiam futura magis expecto. Quare, vt ad me omnia quam diligentissime perscribas, te vehementer rogo. Vale.

M. T. C. IMPERATOR, M. CÆLIO ÆDILI CVRVLI

21

S. P. D.

PVTARESNE VNQVAM ACCIDERE posse, vt mihi verba deessent, neq. solum ista vestra oratoria, sed hac etiam leuia nostratia? Desunt autem propter hanc causam, quod mirifice sum sollicitus, quidnam de [a] prouincijs decernatur. Me mirum desiderium tenet vrbis, incredibile meorum atq. inprimis tui, satietas autem prouincie: vel quia videmur eam famam consecuti, vt non tam accessio querenda, quam fortuna metuenda sit: vel quia totum negotium non est dignum viribus nostris, qui maiora in Repub. onera sustinere & possimus & soleamus: vel quia belli magni timor impendet, quod videamur effugere, si ad constitutam diem decedemus. De Pantheris per eos qui venari solent, agitur mandato meo diligenter: sed mira paucitas est, & eas, quæ sunt, valde aiunt queri, quod nihil cuiquam insidiarum in mea prouincia, nisi sibi fiat, itaq. constituisse dicuntur in Cariam ex nostra prouincia decedere. Sed tamen sedulo fit, & inprimis à Patisco. Quicquid erit, tibi erit: sed quid plane esset, nesciebamus. Mihi mehercule magna cura est adilitas tua: ipsa dies me admonerat, scripsi enim hac ipsis Megalensibus. Tu velim ad me de omni Reipublicæ statu quam diligentissime per-

perscribas : ea enim certissima putabo, quæ ex te cognouero. Vale.

M. T. C. IMPERATOR, M. CÆ-
LIO EDICTO CVRVLI

S. P. D.

22

SOLICITVS EQVIDEM

eram de rebus vrbanis, ita tumultuose conciones, ita molesta Quinquatrijs afferebantur : nam citeriora nondum audiebamus : Sed tamen nihil me magis sollicitabat, quam in his molestijs non me, si quæ ridenda essent ridere tecum : sunt enim multa, sed ea non audeo scribere. Illud moleste fero, nihil me adhuc his de re-
24. bus habere tuarum literarum. [b] Quare etsi cum tu hæc leges, ego iam annuum munus confecero : tamen obuia mihi velim sint literæ tuæ, quæ me erudiant de omni Republica, ne hospes plane veniam : hoc melius quam tu, nemo facere potest. Diogenes tuus homo modestus a me cum Philone Pessinunte discessit, iter habebant ad Laium regem : quanquam omnia nec benigna, nec copiosa cognorant. Urbem, mi Rufe, cole, & in ista luce vive. Omnis enim peregrinatio (quod ego ab adolescentia inditeavi) obscura & sordida est, quorum industria Romæ potest illustris esse. Quod cum probe scirem, utinam in sententia permansissem, Cum vna mehercule ambulatuncula, atq; vno sermone nostro omnes fructus prouinciæ non consero. Spero me integritatis laudem consecutum : non erat minor ex contemnenda, quam ex conseruata prouincia spes triumphi : in qua satis gloriose triumpharem, si non essem tamdiu quidem in desiderio rerum mihi carissimarum. Sed (ut spero) propediem te videbo : tu mihi

M. T. C. EPIST. FAM.

mibi obuiam mitte epistolas te dignas. Vale.

M. T. C. M. CÆLIO ÆDILI

23

CVRVLIS. S. P. D.

Sabinus RARAS TVAS QUIDEM (FOR-
tasse enim non perferuntur) sed suaves accipio li-
ras: vel quas proxime acceperam, quam prudentes,
quam multi & officij, & consilij? Etsi omnia sic confi-
tueram mihi agenda, ut tu admonebas, tamen confir-
mantur tua consilia, cum sentimus prudentibus, si-
deliterq; suadentibus idem videri. Ego Appium (ut
sepe tecum locutus sum) valde diligo, meque ab eo
diligere statim ceptum esse, [a] ut simultatem depo-
sumus, sensi. Nam & honorificus consul in me fuit,
& suavis amicus, & studiosus studiorum etiam meo-
rum. Mea vero officia ei non defuisse, tu es testis:
quoniam non modo pater (ut opinor) accedit Phania,
& mehercule etiam plures eum feci, quod te amari
ab eo sensi. Iam me Pompeij totum esse scis. Brutum
a me amari intelligis. Quid est causa, cur mihi
non in optatis sit complecti hominem florentem eta-
te, opibus, honoribus, ingenio, liberis, propinquis,
affinibus, amicis: collegam meum praesertim, & in
ipsa collegij laude, & scientia studiosum mei? Hec
eo pluribus scripsi, quod mihi significabant tua literae
subdubitare te, quae essem erga illum voluntate. Cre-
do te audisse aliquid: falsum est, mihi crede, si quid
audisti. Genus institutorum & rationum mearum
dissimilitudinem nonnullam habet cum illius admi-
nistratione prouinciae. Ex eo quidam suspicati for-
tasse sunt, animorum contentione, non opinionum
dissensione me ab eo discrepare: Nihil autem feci vn-
quam

quam, neq. dixi quod contra illius existimationem esse
vellem. Post hoc negocium autem, & temeritatem
nostri Dolabella, deprecatorem me pro illius periculo
præbeo. Erat in eadē epistola veteris ciuitatis: gau-
debam sane, & congelasse postum amicum letabar
ocio. Extrema pagella percutit me tuo chirographo:
Quid ais? Casarem non defendit Curio? quis hoc pu-
taret præter me: nam ita mihi putauit. Dii immorta-
tes, quam ego risum nostrum desidero. Mibi erat in
animo, quoniam iurisdictionem confeceram, civitateis
locupletarā, publicanis etiam superioris lustrī reliqua
25. [b] sine sociorum vlla querela, conseruaram: pri-
uatis, summis, infimis fueram incundus, proficisci in
Ciliciam Nonis Maij: & cum primum aestiua attigis-
sem, militaremq. rem collocassem, decedere ex sena-
tusconsulto. Cupio te adilem videre, miroq. desiderio
me vrbs afficit, & omnes mei, tuq. imprimis. Vale.

M. T. C. IMPERATOR, M. CÆ-
LIO AEDILI CVRVL
S. P. D. 24

FABIO VIRO OPTIMO ET
homine doctissimo familiarissime vtor, mirificeq. eum
diligo, cum propter summum ingeniu eius, summamq.
doctrinam, tum propter singularem modestiam. Eius
negocium sic velim suscipias, vt si esset res mea. Non
ego vos magnos patronos: hominem occidat oportet,
qui vestra opera vti velit: sed in hoc homine nullam
accipio excusationem: omnia relinques, si me ama-
bis, cum tua opera Fabius vti solet. Ego res Roma-
nas vehementer expecto, & desidero, imprimis quid
agas,

agas, scire aueo: nam iam diu propter hyemis magnitudinem nihil noui ad nos afferebatur. Vale.

M. T. C. M. CELIO EDILI
25 CVRVI S. P. D.

NON POTUIT ACCURATI-
us agi, neq. prudentius, quam actum est a te cum Curione de supplicatione, & mehercule confecta res ex sententia mea est, cum celeritate, tum quod is, qui erat inanis, competitor tuus, & idem meus, assensus est ei, qui ornavit res nostras diuinis laudibus. [a] Quare 26.
scito me sperare ea, quae sequuntur, ad quae tu te para. Dolobellam a te gaudeo primum laudari, deinde etiam amari. Nam ea quae speras Tullia mea prudentia temperari posse, scio cui epistole tuae respondeat. Quid si meam legas, quam ego dum ex tuis literis misi ad Appium? Sed quid agas? sic videtur. Quod actum est, dii approbent. Spero fore iucundum generum nobis: multum in eo tua nos humanitas adinuabit. Respublica me valde sollicitat. saueo. Curioni, Casari honestissime cupio, pro Pompeio mori possum: sed tamen ipsa Respublica nihil mihi est carius, in qua tu non valde te iactas: districtus enim mihi videris esse, quod & bonus ciuis, & bonus amicus es. Ego de prouincia decedens, quaestorem Calium praeposui prouincia. Puerum inquis? at quaestorem ac nobilem adolescentem, ac omnium fere exemplum: neq. erat superiore honore vllus, quem praeficerem. Pontinius multo ante discesserat: a Quinto fratre impetrari non poterat: quem tamen si reliquisset, dicerent iniqui, non me plane post annum, ut senatus voluisset, ex prouincia decessisse, quoniam alterum me reliquisset. Fortasse

Et

et illud adderent, senatum eos, voluisse provincijs præ-
esse, qui antea non præfuissem, fratrem meum tri-
ennium Asia præfuisse. Denig, nunc sollicitus non sum:
si fratrem reliquissem, omnia timerem. Postremo non
tam mea sponte, quam potentissimorum duorum ex-
emplo, qui omneis Cassios, Antonioq, complexi sunt,
hominem adolescentem non tam allicere volui, quam
alienare nolui. Hoc tu meum consilium laudes necesse
est: mutari enim non potest. De Ocella parum plane
26. ad me scripseras, & in actis non [b] erat. Tuae res
gesta ita nota sunt, vt trans montem Taurum etiam
de matrimonio sit auditum. Ego nisi quid me Etesia
morabuntur, celeriter (vt spero) vos videbo. Vale.

M. T. C. IMPERATOR. M. CÆ-
LIO S. P. D. 26

MAGNO DOLORE ME AFFE-
cissent tuæ literæ, nisi iā & ratio ipsa depulisset omneis
molestias, et diuturna desperatione rerum obduruisset
animus ad dolorem nouum. Sed tamen, quare accide-
rit, vt ex meis superioribus literis id suspicari, quod
scribis, nescio. Quid enim fuit in illis præter querelam
temporum, quæ non animum meum magis sollicitum
haberent, quam tuum? Nam non eam cognoui aciem
ingenij tui, quod ipse videbam, te id vt non putem
videre. Illud miror, adduci potuisse te, qui me peni-
tus nosse deberes, vt existimares, aut me tam impro-
uidum, qui ab exortu fortuna ad inclinatam &
prope iacentem desciscerem: aut tam inconstantem,
vt collectam gratiam florentissimi hominis effunde-
rem, a meq, ipse desicerem, & quod initio, semperq,
E fugi.

habui

fugi, civili bello interesset. Quod est igitur meum
 triste consilium? ut discederem fortasse in aliquas so-
 litudines? nosti enim non modico stomachi mei? cuius
 tu similem quondam habebas, sed etiam oculorum in
 hominum insolentium indignitate fastidium. Accedit
 etiam molesta hac pompa lictorum meorum, nomeng
 imperij, quo appellor: Eo si onere carerem, quamvis
 parvis Italia latebris contentus essem. Sed incurrit
 hac nostra laetitia non solum [a] in oculos, sed iam 27.
 etiam in vultus maleulorum. Quod cum ita esset,
 nihil tamen unquam de profectione, nisi vobis appro-
 bantibus, cogitavi. Sed mea pradiola tibi nota sunt:
 in his mihi necesse est esse, ne amicis molestus sim.
 Quod autem in maritimis sum, facile moveo nonnullis
 suspicionem, velle me navigare: quod tamen fortasse
 non nollem, si possem ad vocum: nam ad bellum qui-
 dem qui convenit? praesertim contra eum, cui spero me
 satisfacisse ab eo, cui tamen satisfieri nullo modo po-
 test: Deinde sententiam meam tu facillime perspicere
 potuisti, iam ab illo tempore, cum in Cumanum mihi
 obviam venisti: non enim te celavi sermonem. Sed
 nonne tum providisti, quam abhorrerem ab urbe re-
 linquenda? quod cum audissem, nonne tibi affirmavi,
 quidvis me potius perpessurum, quam ex Italia me
 ad bellum civile exiturum? Quid ergo accidit, cur
 consilium mutarem? nonne potius omnia, ut in sen-
 tentia permanerem? Credas hoc mihi velim, quod
 puto te existimare, ex his miserijs nihil aliud me que-
 rere, nisi ut homines aliquando intelligant, me nihil
 maluisse, quam pacem: ea desperata nihil tam fugisse,
 quam arma civilia. Huius me constantia puto fore,
 ut nunquam poeniteat. Etenim memini in hoc genere
 glo-

27. **I**gloriari solitum esse familiarem nostrum Hortensium,
 quod nunquam bello civili interfuisset. Hoc nostra laus
 erit illustrior, quod illi tribuebatur ignavia: de nobis
 id existimari posse non arbitror. Nec me ea terrent,
 quae mihi à te ad timorem fidiſſime atq; amantiſſime
 proponuntur. Nulla eſt enim acerbitas, quae non om-
 nibus hac orbis terrarum perturbatione [b] im-
 pendere videatur: quam quidem ego à Republica,
 meis priuatis & domeſticis incommodis libentiſſime,
 vel iſtis ipſis, quae tu me mones, vt caueā, redemiſſem.
 Filio meo, quem tibi carum eſſe gaudeo, ſi erit vlla
 Reſpub. ſatis amplum patrimonium relinquam memo-
 riam nominis mei: ſin autem nulla erit: nihil accidet
 ei ſeparatim à reliquis ciuibus. Nam quod rogas, vt
 reſpiciam generum meum adoleſcentem optimum mi-
 hiq; cariſſimum: an dubitas, cum ſcias quanti cum il-
 lum, tum vero Tulliam meam faciam, quoniam ea me cu-
 ra vehementiſſime ſolicitet? & eo magis, q̃ in com-
 munibus miſerijs hac tantum oblectabar ſpecula. Do-
 labellam meum, vel potius noſtrum, videbam fore ab
ijs moleſtijs, quas liberalitate ſua contraxerat, liberū.
 Velim queras, quos ille dies ſuſtinnerit, in vrbe dum
 fuit, quam acerbos ſibi, quam mihi ipſi ſocero non ho-
 neſtos. Itaq; ego neq; hunc Hiſpanienſem caſum ex-
 pecto, de quo mihi exploratum eſt ita eſſe, vt ſcribis:
 nec quicquam aſtute cogito. Si quando erit ciuitas,
 erit proſpecto nobis locus: ſin autem non erit, in eaſ-
 dem ſolitudines tu ipſe (vt arbitror) venies, in quibus
 nos conſediſſe audies. Sed ego fortaiſis vaticinor:
 & hac omnia meliores habebunt exitus. Recordor
 enim deſperationes eorum, qui ſenes erant adoleſcen-
 te me. Eos ego fortaiſſe nunc imitor, & vtor atatis

E 2

vicio



vitio. Velim ita sit. Sed tamen togam ~~pretextam~~ exiit
 Oppio, puto te audisse: nam Curtius noster de aphūm
 cogitat, sed eum infector moratur. Hæc aspersi, ut sci-
 res ma tamen in stomacho solere ridere. De Dolabel-
 la, quod scripsi, videas suadeo, tanquam si res tua aga-
 tur. Extremum illud erit, nos nihil turbulententer, nihil
 [a] temere faciemus. Te tamen oramus, quibus conq, 28.
erimus in terris, ut nos liberosq, nostros ita tueare, ut
amicitia nostra & tua fides postulabit. Vale.

M. T. C. CANINIO SALV-
 STIO PROPÆTORI,

27

S. P. D.

LITERAS A TE MIHI STA-
 16

tor tuus reddidit Tarfi ad XVI. Calend. Sextileis. His
 ego ordine, ut videris velle, respondebo. De successore
 meo nihil audiui, nec quengquam fore arbitror. Quin
 ad diem decedam, nulla caussa est, præsertim sublato
 metu Parthico. Commoraturum me nusquam sane
 arbitror. Rhodum Ciceronum caussa puerorum acce-
 surum puto, neq, id tamen certam. Ad urbem velim
 quamprimum venire, sed tamen iter meum Reip. &
rerum vrbænarum ratio gubernabit. Successor tuus
 non potest ita maturare villo modo, ut in me in Asia
 possis conuenire. De rationibus referendis non erat in-
 commodum te nullam referre, quam tibi scribis à Bi-
 bulo fieri potestatem: sed id vix mihi videris per legē
 Iuliam facere posse, quam Bibulus certa quadam ra-
 tione non seruat, tibi magnopere seruandam censeo.
Quod scribis Apamea presidium deduci non oportuif-
se, videbam idem ceteros existimare, molesteq, fere-
 bam,

bam, de ea re minus commodos sermones maleuolorum fuisse. Parthi transferint, nec ne, prater te, video dubitare neminem: itaq; omnia presidia, quae magna & firma paraueram, commotus hominum nō dubio sermone, dimisi. Rationes mei questoris nec verum fuit me tibi mittere, nec tum erant confectae:
 28. eas nos Apameae deponere cogitabamus. [b] De praeda mea prater questores vrbānos, id est, populum Romanum, Teruncium ne attigit, nec tacturus est quisquam. Laodiceae me praedes accepturum arbitror omnis pecuniae publicae, ut & mihi & populo cautum sit sine vecturae periculo. Quod scribis ad me de drachmis CCCCLIII, nihil est quod in isto genere cuiquam possim commodare. Omnis enim pecunia ita tractatur, ut praeda a praefectis: quae autem mihi attributa est, a Questore curetur. Quod queris, quid existimem de legionibus, quae decretae sunt in Syriam: antea dubitabam venturae ne essent, nunc mihi non est dubium, quin si antea auditum erit ocium esse in Syria, venturae non sint. Marium quidem successorem tarde video esse venturum, propter quod senatus ita decreuit, ut cum legionibus iret. Vni epistolae respondi: venio ad alteram. Petis a me, ut Bibulo te quam diligentissime commendem: in quo mihi voluntas non deest, sed locus videtur esse tecum expostulandi. Solus enim tu ex omnibus, qui cum Bibulo sunt, certiorum me nunquam fecisti, quam valde Bibuli voluntas a me sine causa abhorreret. Permulti enim ad me detulerunt, cum magnus Antiochie metus esset, & magna spes in me, atque in exercitu meo, solitum dicere, quidvis se perpeti malle, quam videri exuisse auxilio meo, quod ego

officio quaestorio adductum te, reticere de pratore tuo non moleste ferebam : quanquam quemadmodum tractare, audiebam. Ille autem, cum ad Thermum de Parthico bello scriberet, ad me literam nunquam misit, ad quem intelligebat eius belli periculum pertinere. Tantum de auguratu filij sui scripsit ad me : in quo ego misericordia [a] commotus, & quod 29.
semper amicissimus Bibulo sui, dedi operam, ut equam humanissime scriberem. Ille si omnibus est maleuolus (quod nunquam existimaui) minus offendor in me : si a me est alienior, nihil tibi litera mea proderunt. Nam ad senatum, quas Bibulus literas misit, in his, quod mihi cum illo erat commune, sibi soli attribuit : se ait curasse, ut cum quaestu populi pecunia permutaretur : quod autem meum erat proprium, ut alarijs Transpadanis uti negarem, id etiam populo se remisisse scribit : quod vero illius erat solius, id mecum communicat : equitibus auxiliarijs egere se inquit, cum amplius frumenti postularem. Illud vero pusilli animi, & ipsa maleuolentia ieiuni atq; inanis, quod Ariobarzanem, quem senatus per me regem appellauit, mihiq; commendauit, iste in literis non regem, sed regis Ariobarzani filium appellat. Hoc animo qui sunt, deteriores sunt rogati. Sed tibi morem gessi : literas ad eum scripsi : quas cum acceperis, facies quod uoles. Vale.

M. T. C. IMPERATOR, Q. THER-
MO PROCVRATORI,

28

S. P. D.

OFFICIUM MEVM ERGA
Rhodonem, cateraq; mea studia, qua tibi ac tuis praestiti,

stiti, tibi homini gratissimo grata esse vehementer gaudeo: mihi scito indies maiori curae esse dignitatem tuam: qua quidem a te ipso integritate & clementia tua sic amplificata est, ut nihil addi posse videatur. Sed mihi magis magisque, quotidie de rationibus tuis cogitanti, placet illud meum consilium, quod initio Aristoni nostro, ut ad me venit, [b] grauis te ostendi suscepturum inimicitias, si adolescens potens & nobilis a te ignominia affectus esset: & hercle sine dubio erit ignominia: habes enim neminem honoris gradu superiore. Ille autem, ut omittam nobilitatem, hoc ipso vincit viros optimos, hominesque innocentissimos legatos tuos, quod & quaestor est & quaestor tuus. Nocere tibi iratum neminem posse perspicio: sed tamen tres fratres summo loco natos, promptos, non indisertos, te nolo habere iratos, iure praesertim quos video deinceps tribunos plebis per triennium fore. Tempora autem Reipub. qualia futura sint, quis scit? mihi quidem turbulenta videntur fore. Cur ergo te velim incidere in terrores tribunitios? praesertim cum sine cuiusquam reprehensione legatis Quaestorū possis anteferre, qui si dignum se maioribus suis praeberit, (ut spero & opto) tua laus ex aliqua parte fuerit: sin quid offenderit, sibi totum, nihil tibi offenderit. Quae mihi veniebant in mentem, quae ad te pertinere arbitrabar, quod in Ciliciam proficiscebam, existimaui me ad te oportere scribere, Tu quod egeris, id velim dii approbent. Sed si me audies, vitabis inimicitias, & posteritatis ocio consules. Vale.

M. T. C. IMPERATOR, C. CAELIO

L. FILIO, S. P. D. 29

E 4

Cum

habui

CUM OPTATISSIMUM NVN-
 cium accepissem, te mihi questorē obtigisse, eo iucun-
 diorem mihi eam ^{forte} sperabam fore, quo diutius in
 provincia mecum fuisset. Magni enim videbatur in-
 teresse ad eam ^{peruenire} necessitudinem, [a] quam nobis fors
 tribuisset, consuetudinem quoque, accedere. Postea, cum
 mihi neg, à te ipso, neg, ab ullo alio de aduentu tuo
 scriberetur, verebar, ne id ita caderet, quod etiam
 nunc vereor, ne ante, quam tu in provinciam venis-
 ses, ego de provincia discederem. Accepi autem à
 te missas literas in provincia, cum essem in castris,
 ad duodecimum Calend. Quintileis, scriptas huma-
 nissime, quibus facile & officium & ingenium tuum
 perspicui possit: sed neg, unde, neg, quo die data essent,
 aut quo tempore te expectarem, significabam: nec
 is qui attulerat, à te acceperat, ut ex eo scirem,
 quo ex loco, & quo tempore essent datae. Quae cum
 essent incerta, existimaui tamen faciendum esse, ut ad
 te statores meos & listores cum literis mitterem;
 quas si satis opportuno tempore accepisti, gratissimū
 mihi feceris, si ad me in Ciliciam quam primum ve-
 neris. Nam quod ad me Curius consobrinus tuus (ut
 scis) mihi maxime necessarius, quod item C. Virgi-
 nius, propinquus tuus familiarissimus noster de te ac-
 curatissime scripsit, valet id quidem apud me mul-
 tum, sicut debet hominum amicissimorum diligens
 commendatio: sed tuae literae de tua praesertim digni-
 tate & de nostra coniunctione, maximi sunt apud
me ponderis. Mihi questor optatior obtingere ne-
 mo potuit. Quamobrem, quaecunque à me orna-
 menta in te proficiuntur, ~~clabatur~~ ^{clabatur}, ut omnes in-
 telligant, me habitam esse rationem tuae maiorum-
 que

